

4° HE 2433.



R.D.PETR<sup>O</sup> DE NIELIS S.R.E.PROTONOTARIO.

Doubly  
L


H. Edd.  
Doubt 526.

DE REBV S PRAECLARE  
GESTIS  
A SIXTO V PON MAXE

IO FRANCISCI BORDINI  
I.C. ET PRAESBITERI  
RO. CARMINV

ROMAE ex officina Iacobi  
Tornerij  
M.D.LXXXVIII  
Permissu Superiorum.

Doubt



S I X T O V. P. M.  
SANCTISS. TOTIVS  
CHRISTIANI GREGIS  
P A S T O R I.

IO. FRANCISCVS BORDINVS  
FELICITATEM.



**P**ERVM à te gloriose gestarum tantus est splendor tanta magnitudo BEATISSIME SIXTE, ut & earum fama ad exteris quasq; barbarasque nationes, summa cū tui admiratione peruererit; & in illis extollendis præclara quæque huius tempestatis ingenia defudauerint. Quorum de tuis laudibus monimentatum carmine, tum soluta oratione conscripta, partim iam in lucem edita sunt, partim in dies edenda expectantur. In his ego tamquam anser inter olores obfrepere aliquando tentaui, tantoque tuarum laudum rumore veluti è somno experrectus, ad obsoletæ poësis studium, iampridem resides animos desuetaque corda reuocaui. Id verò non ut aliquam ex ea re mibi laude compararem, sed ut meæ in te obseruantia signum aliquod vel exiguum demonstrarem. Nec erat animus,

ut quamibi ipsi luce indigna videbantur, lucem adspicerent, & in manus hominum deuenirent. Verum cum illis S.T. quæ eius est humanitas, non parum delectatam fuisse sentiam, tuoque iuſu, & à Petro Bargeo viro omni litterarum genere ornatissimo, & à Petro Galeſinio Protonotario Apostolico, tuæque Sanctitati ob insignem doctrinæ & eloquentiae laudem carissimo, & à Hieronymo Badesio iuuene eruditissimo auunculoque Silvio Antoniano minime indigno, inter cætera prestantissimorum virorum carmina inserta typisque excusa prodijſe: rem tibi non ingratam facturum me existimavi, si quos sparsim & in singula quæque facinora à te non minus celeriter, quam magnificentissime perpetrata, modo plures, modo pauciores versus transmisi, in unum congestos libellum, & eisq. iconibus exornatos ante tuos beatissimos pedes offerrem, obsequij in te mei monumentum, pignusque perenne. Neque vero anger, si quis me assentationis fortasse insimulandum putauerit, quasi leuissimis nanijs gratiam tuam inire atque aucupari voluerim. Ego enim, conscientia teste, dum te laudo, non te, sed illum in te laudo, cuius in terra vices geris, cuius munere præclaris istis animi dotibus ornatus es, cuius ductu maxima quæquamente agitare, opereque complere non dubitas, Iesum Christum summum Deum summique Dei filium, quem laudant angeli & iuſorum spiritus, qui maiore est omni laude, qui que laudatoribus suis sempiterna præmia benignè largitur. Nihilo autem magis illorū obiurgationes pertimesco, qui dñi tui fortassis sunt, hominem Sacerdotem,

serijs

serijs tum rebus tum litteris dies noctesque occupatum,  
atare iam graui, leuibus carminum scriptitatiunculis  
operam diesque insumere minime decuisse. Nam ego me  
neque sanctiorcm facio, Ambroſio, Nazianzeno, Cy-  
priano, Paulino Nolano, Damaso, Venatio, & Pro-  
ſpero, neq; grauiorem Prudētio, Laetatio, Arato, Sedu-  
lio, Iuuenco, Victorino ceterisque priscorum seculorum  
viris illuſtrissimis, quos neque puduit, neque piguit, car-  
minibus aliquando animum oblectare; & diuina my-  
fateria carmine decantata populis exhibere. Ut omittam  
Regem eundemque Prophetam Dauidem, quem & si  
affiduis bellorum tumultibus vexatum, grauiſſimaque  
regni gubernatione impeditum, numquam tamen à di-  
uinis laudibus carmine concinendis, & diu noctuque  
Altissimo, Maximoque Deo, in Cythara, & psalterio, &  
voce tubæ corne & psalmorum penſo persoluendo, ceſſaſſe  
meminiſſimus. Eius exēpla proponens Sancta mater Eccle-  
ſia, que nunc te capite ac rectore gloriatur, ſeptenas ho-  
ras, quas Canonicas dicimus, Dauidico carmine ho-  
dieque decantat. Quin ut carminum uſum, non ſolum  
non improbet, ſed commendet etiam vehementer; hym-  
nos partim ab Ambroſio sanctiſſimo Mediolani epifo-  
po, (cuius opera in meliorem ſpeciem, diluciſioremque  
ordinem, te auctore dum adhuc Cardinalem ageres, re-  
dacta, non ſine totius Christiani orbis ingenti uitilitate  
leguntur,) partim ab Aurelio Prudentio, Hilario,  
Gregorio Magno, Sedulio alijsque lebtiſſimis viris decer-  
pta pro dierum atque feſtorum opportunitate canenda  
proposuit. Ut inde piorum animi non tantum cantionis  
ſuauit

suauitate demulcerentur, atque ad diuinarum rerum  
gustum saporemq. alicerentur: sed & vitiorum fugā,  
virtutumque desiderium, veluti melle delibuto quodā,  
epoto medicamento, perdiscerent. Me verò, Pater bea-  
tissime, adeò huius errati minimè pænitet, ut frequen-  
tius, diligentiusque carminibus conscribendis insudare  
posthac in animum induxerim, quoties à grauioribus  
negocijs studijsque vacare contigerit. Quo factum est vi  
exiguo huic operi libri primi titulum præfigere decreue-  
rim, cui & secundus & tertius, & quotquot visi fue-  
rint, subiecti possint. Quemadmodum enim neque tu à  
similibus maioribusq; operibus patrandis vñquam de-  
sistes: quippe qui maiora in dies animo voluas, nihilq;  
eorum prætermittas, quæ & ad Romanam Vrbem in  
Pristinam dignitatem vindicandam, & ad depraua-  
tos hominum mores corrigendos, & ad perpetuam  
tranquillitatem, salutem, ac securitatem gregi tuo pa-  
randam, tuendamque facere posse videantur: ita neque  
me, neque præstantissimos quoisque cum ingenio tū elo-  
quentia viros, à tuis laudibus celebrandis vñquam ces-  
saturos esse confido. Evidem, quod ad me attinet, cum  
inter ceteras innumerabiles animi tui virtutes, reli-  
gionem in primis, singularemque in Deum pietatem so-  
leam demiraris in ea potissimum extollenda, futurorum-  
que seculorum memoriæ cōmendanda semper versabor.  
Tu interea, pater sanctissime, hoc qualecunque munu-  
sculum serui tui hilari fronte, gratoque animo susci-  
pere deignator: in quo, quasi in speculo, te ipsum pos-  
sis intueri, & qui iam multos retro Pontifices, pietate,  
iustitia,

justitias animique magnitudine superasti; nunc hoc tui  
ipsius obtutus, ad te ipsum egregius operibus superandum  
inflammeris atque prouoceris. Me vero tua benedictionis  
optatissimo munere impertitum ut velis flexis geni-  
bus oro atque obsecro. Deus te Ecclesiae sue in columem  
diutissime seruet. Pater optime atque Beatissime.



AVCTOR AD LIBRVM.

Obtrectatores verbo hoc compescere, libelle;  
Dic, versus Sexto si placuere, sat est.



AD SIXTVM V. PONT. MAX.<sup>3</sup>  
MAGNA PRAESTANTEM,  
MAIORA MOLIENTEM.



IO. FRANCISCI BORDINI I. C.  
ET PRESB. ROM.

CARMEN ELEGIA CVM.



AGNA facis, maiora dies moliris in  
omneis.

Det tantum Christus tempora longa  
tibi.

Te duce Iustitiae rursus iubare micat orbi,

Iustitia abun-  
dantia pax re-  
ligio.

Et reduces ad sunt copia, pax, pietas.

Te duce parta quies populis, pulcherrima rerum

Quies.

Læta dari sibi nunc secula Roma videt.

Effera prædonum rabies compressa quiescit,

Latrones co-  
pressi.

Et iam tutus iter carpere quisque potest.

Et, qui vana diu vanis prædictis aruspex,

Aruspices fa-  
gati.

Quod sibi non vidit, pellitur vrbe, miser.

A 2

Iam

#### 4 D E R E B. G E S T I S

Adulteris poe-  
na imposta.

Iam frænis legum turpis religatur adulter,

Nec castos audet commaculare thoros.

Aquaæ felices

in Quirinali.

Et gelidæ, longo quæ ducta est tramite, lymphæ

Alta Quirinalis perfluit vnda iuga.

Templorum  
annua visita-  
tio.

Diuorum, deserta diu, delubra frequentes

Cum patribus populi, te duce, Sixte, petunt.

Viaæ aperte  
strataque.

Hinc, atque hinc patefacta iacent strata ampla viarum,

Qua sacras possit quisquis adire domos.

Obeliscus Va-  
ticanus.

Ipse Crucis magnos referens obeliscus honores,

Excelias Petri sistitur ante fores.

Obeliscus La-  
teranensis.

Audijt hoc, mersus quamuis tellure sub alta,

Alter, & excelsum tollit ad astra caput.

Audijt, & fese quærentibus obuius vltro

Fert citus, & pondus gestit obire Crucis.

Palatium La-  
teranense cu-  
porticu.

Hic vbi porticibus surgit Laterana superbis

Magna domus niueo marmore fulta nitens.

Sacellum Ex-  
quiliij.

Quid quod in Exquilijs tua nunc præsepia, Christe,

Præclaro tectum fornice cingit opus?

Vaticane te-  
studinis ab-  
soluedre spes  
certa.

Sic Petri curua claudi testudine templum

Sperant mox populi, quod cupiere diu.

Et

A SIXTO V. P. M.

Ettotum immensi pondus quæ sustinet orbis

Stat septemdenis Ianua Cardinibus.

Nam septemdenis patribus constare senatum

Vis, quos & totidem templ a fouere iubes.

Virtuti sic digna datur, te principe, merces,

Sic meritas poenas impiæ facta luunt.

Cætera quid memorem? siluæ hæc montesq; loquuntur.

Et Tagus, & Ganges, Oceanusque pater.

Sed quid non facies, quid non sperare licebit,

Si dederit Christus tempora longa tibi;

Grandia venturos quæ non præstabis in annos,

Tot si tam paruo tempore mirageris?

Gens effræna tibi septem subiecta trioni

Seruiet, atque Indus, Niliacusque sinus.

Seruiet armipotens Anglus, gens dura Lemanni,

Bosphoridæ Thraces, indomitique Getæ.

Barbaraque insuetum discent infrendere nomen

Ora Dei, & dulci flectere colla Crucis.

Numina tunc Christi venerabitur vltimæ Thule,

Inque vnum cuges pastor ouile pecus.

Magna

Cardinalium  
septuaginta  
numeris & ri  
tuli totidem.

Mundi con  
uersio.

Hereticorum  
& infidelium  
reditus ad Sc  
elæ gremiū

Vnum ouile  
& unus pastor

## 6 D E R E B. G E S T I S

Magna, sed hæc alij sublimi carmine, vates

Dicent, & grandis grandia facta chelys.

Nostra inter vitreos fonteis, per gramina lata

Cantabit raucis fistula rauca modis.

Non quos ingenteis referes ex hoste triumphos,

Non, quæ deuictis iura dabis populis:

Non, vt pugnaceis Parthos, Turcas ue feroceis

Amne salutari proluet ista manus.

Templo septe Rustica sed tenui dulceis mea tibia amores

Tentabit versu dicere Sixte tuos.

S. Maria ad  
Præsepe.

Vt pius, vtque frequens vel nunc nascentis Iesu,

S. Crucis.

Vel Crucis inuictæ, Partheniam ve domum.

S. Maria de  
Populo

S. Petri.

S. Pauli.

S. Io. Latera-  
nensis.

S. Laurentij.

Vel Vaticanam, aut quæ respicit ostia Tybris,

Pauli ædem visas, aut Laterana petas:

Vel magni vt perga hilaris Laurentis ad aram,

Vt lachrymis madeas dum pia sacra facis.

Vt tua semper eat circum præcordia Christus:

Vt mentem moneat, vt tua copta regat.

Vt mortale nihil voluas, sed ad æthera semper

Erigere vt cures, teque tuumque gregem.

Viuida que

A S I X T O V. P. M.

7

Viuidaque vt teneras exurat flamma medullas,

Ferueat atque imo pectore dulcis amor.


Hæc ego dulcisono modulabor carmina plectro

Det tantum Christus tempora longa tibi.



9

SIXTI PASTORIS  
EXCVBIAE AD CHRISTI  
INFANTIS CVNABVLÄ.



Dspicis ut latus cunabula dulcis IE SV  
Sixtus obit, senio nec timet ille suo?  
Horrida non glacies, no inclemētia cœli.  
Terret sanctū adeò pectus adurit amor.  
Frigida sed canis spargit dum bruma pruinis  
Terras, nox medium dum tenet vda polum  
Tunc vigilat pastor, tunc aurea tecta relinquens  
Se se ad nascentis fert penetrale Dei.  
Est locus, Exquiliias prisci dixere Quirites,  
Irriguis quondam collis amœnus aquis.  
Nunc æde insignis Christi quæ sacra parenti  
Æstiuæ veniens à niue nomen habet  
Ipsius hic veneranda Dei præsepia Christi  
Summa Romulidæ relligione colunt.

B Hic

## 10 DE R E B . G E S T I S

Hic olim Sixtus nondum ad sceptr'a alta vocatus

Egregium altaris condere cœpit opus.

Quod nunc excels'o conclusum fornice longe

Despectat turreis Roma superba tuas.

Virginei hic partus monimentum illustre reponit

Nocturnum tuguri pauperis hospitium :

Quod circum insontes pueri, Sicanaque virgo

Ludentes adstent, Illyricusque senex.

Huc igitur gressus grandæuus dirigit heros

Post quem consequitur sedula turba patrum.

Concurrunt proceres, pergunt iuuenesque senesque

Permistum vulgus, foemina virque simul.

Post vbi deuentum est ad limina magna facelli,

Atque aram Christus qua cubat in media;

Continuò excubias alternis vocibus implent

Hinc hominum cœtus, ætherei inde chori.

En Christus natus nunc Gens hunc omnis adoret,

Conclamant pariter, Gloria summa Deo.

En iacet in fœno, pugno qui continet orbem,

Pascitur en pastor lacte per exiguo.

Virginis

A S I X T O V. P. M.  
71  
Virginis vberibus destillant pocula cœli,  
Filius atque hominis fit pater ipse hominum.  
Sic canitur: resonant vasti penetralia templi,  
Et lacrymas cunctis mystica sacra crient.  
Ast multo ante alios afflatus numine Sixtus  
Adstat non oculos non mouet ille manus.  
Sed stupet, & rerum quæ sint arcana reuoluit,  
Et tacita secum talia mente refert.  
Quam bene in Exquilijs celebrantur sacra tonanti,  
Romanasque arceis paruula cuna domat.  
Quam decet, excubias ubi Rex Romanus agebat,  
Romani excubias pastor ouilis agat.  
Quare agite ò cœli, terris demittite rorem,  
Et pluuiam optatam mittite, tempus adest.  
Quæ longum tandem sitientia temperet arua,  
Irriget & nascens arida corda puer.  
Sic ait: inde oculos sacra in præsepia figens  
Algentem rigida conspicit in stipula:  
Et videt, ut lentus bos hinc, hinc tardus asellus  
Ore fouent tepido membra tenella Dei.

Stat genitrix impexa comas, roseoque refulgens

Vertice, nunc lacrymis ora sinusque rigat.

Et nunc pronā suum lætissima pignus adorat,

Nunc illud castis admouet vberibus.

Nec minus & superis carum caput adstat Ioseph,

Sedulus & cœlo credita dona fouet.

Ioseph qui solus secreti conscius alti

Nascentis pueri gaudia prima tulit:

Post hæc admirans venientum culmine ab alto

Pastorum cœtus cernit adesse pios.

Quorum aliis teneris frons est redimita corymbis,

Astalij puero rustica dona ferunt.

Baccas, atque rosas, violas, suaueisque hyacinthos,

Quos illa insueto tempore fudit hyems.

Hinc alij Cererem expediunt atque oua canistris,

Effundunt alij dulcia vina cadis.

Hic hoëdum, ille agnum portat, siluestria promit

Poma hic, ille oleas, castaneasque nuceis.

Roscida mella, nouique tepentia munera lactis

Dant alij, atque hilares floridas ferta alij.

Parte alia calamos inflant, & carmina dicunt,

Nascentem resonant plectra canora Deum.

Auia responsant nemorum, saltusque ferarum,

Et dumeta canunt & caua saxa Deum.

Ipsæ inter densas corylos virgultaque pictæ

Carmine certantes adglomerantur aues.

Intonsi plaudunt montes ramosque virenteis

Expandunt alacres, pomaque sponte ferunt.

Mitescunt tigres, neclædunt vnguisbus vrsi

Informes quemquam, setigeri uesues.

Non vltra magnos metuunt armenta leones,

Non vltra insequitur toruæ leæna lupum.

Quin lupus ipse vorax agnos innoxius inter

Iam manet, & iuncti bosque leoque cubant.

Panditur interea cœlum, iamque omnis ab alto

Cælicolum terras turba beata petit.

Et geminant voces, & mulcent æthera cantu

Dulcisono, & spargunt lilia mista rosis.

Ecce autem celeri missus fecat aëra cursu

Aliger, & medijs visus adesse sacris.

Atque

Atque adiens Sixtum æterni mandata parentis

Explicat, & cunas ire iubet proprius.

I, Pastor dicens prima hæc pastoribus olim

Gaudia, pastori gaudia prima tibi.

I, Felix, iam pone metum, tu a gaudia virgo

Augeat, & dulcis mellifluusque puer.

Rumpe moras, exesa citus te confer ad antra,

Non fuerint paruæ præmia parua viæ.

Dixit, & in media volitans se nocte recondit,

Optatum aggreditur carpere Sixtus iter.

Vt venit, puerum vt vidi, matremque senemque,

Et quæ illum agresti stramine bruta fouent.

Obstupuit, totos horror tremefecerat artus,

Pertentat tacitum pectus amantis amor.

Hinc dulceis lacrymas, crebra hinc suspiria fundit,

Et dulcem puerum vox geminata vocat.

Excipit illum vlnis atque oscula millia figit

Atque iterum, atque iterum, nec saturatur amor.

Adspirat cœptis infans, tenerosque lacertos

Circum colla senis nectere latus auet.

Ceu

Ceu quondam Solymis aurata in veste sacerdos

Promissi certus templa tonantis adit.

Iam senior mortem sed non visura senectus

Ni detur tectum carne videre Deum.

Quemque vbi conspexit tetigitque, ad sydera palmas

Tendens sic fatus: iam mihi visa salus.

Iam populos saeva video ditione tyranni

Ereptos moriar, iam mihi visa salus.

Iam latus moriar, tu me dimitte precantem

Summe Deus moriar, iam mihi visa salus.

Haud aliter Sixtus longo venerabilis ævo,

Candida dum pueri tangere membra licet,

Exclamat lacrymans, & cum data copia fandi

Ridentem infantem talibus alloquitur.

Parue puer sed magne Deus, cui pontus & æther

Paret, & exelsi lumina magna globi.

O cordis spes sola mei regnator Olympi,

Æterno mundum qui regis imperio.

Quis te pauperiem, frigus, mala que omnia ferre

Compulit ò summi cara Dei soboles?

Sat scio solus amor docuit contemnere cœli

Sydereas sedes, & mala tanta pati.

Vicit iter durum pietas generisque cadentis

Humani, quem olim culpa momordit atrox.

Immanem tu hostem terraque Ereboque potentem

Deuicturus ades Tartareaisque domos.

Iam te Cocytus, Phlegethon, & pallida Ditis

Regna tremunt, & Styx, Eumenidumque furor.

Perte certa salus miseris, per te ardua cœli

Iam conclusa diu porta reclusa patet.

Infesta eniam bell silent, pax aurea mundo

Redditur, & pietas spesque fidesque & amor.

Et quæ iam dudum nostris fuit exul ab oris

Lætitia accedit concomitata iocis.

Ergo ad sis bonus ò nobis plebeumque patresque

Respice parue puer, respice magne Deus.

Et mihi quem pecori longe lateque per orbem

Immensum sparso præficiis immeritum:

Da partos seruare greges tuque adjice caulis

Quos asper ue lupus, vel malus anguis habet.

A SIXTO V.P.M.

17

Nil mortale peto, tantum tua numina Mauri

Agnoscant, Indi, Thraces, & Antipodæ.

Sic rogat, oranti subridens annuit ingens

Pusio, nec cessat basia casta dare.

Et molli amplexu gestit concessa petenti

Vota seni, & blanda significare manu.

Tum numen Sixtus rursus veneratus amicum;

Ad sua mox rediens sacra diurna parat.


C In

A.  
ECCE CRVX DNI  
FVGITE  
PARTES ADVERSE  
VICT LEO  
DE TRIBV JVDA.

B.  
CHRISTVS VINCIT.  
CHRISTVS REGNAT.  
CHRISTVS IMPERAT.  
CHRISTV AB OMNI  
MALO PLEBEM SVAM  
DEFENDAT.

C.  
SIXTVS V. PON. MAX.  
CRUCI INVICTAE  
OBELISCVM VATICANV  
AB IMPVRA SUPERSTITIONE  
EXPIATVM IVSTIVS ET  
FELICIVS CONSECRAVIT  
ANNO M.D.I XXXVI.  
PONT. II.

D.  
SIXTVS V. PONT. MAX.  
OBELISCVM VATICANVM  
DIS GENTIVM IMPIO  
CVLTV DICATVM AD  
AP[osto]L[orum] LIMINA OPEROSO LA  
BORE TRASTVLIT ANN. 1586  
PON. II.





## IN OBELISCUM VATICANVM.



### EPIGRAMMA.



Lta Syenitæ tibi, crux, iam culmina Saxi:  
 Cedunt, & Solis vana supersticio.  
 Cæsareumq. procul nomē, numeq. faceſſunt,  
 Te ſolam lætus nunc Obeliscus amat.  
 Quin & ſublimeis monteis, fulgentiaque aſtra;  
 Exſuperas vietrix, ſub pedibusque tenes.  
 Sponte ſua fului ſubmittunt dora leones,  
 Sic monteis ſubigis, ſydera, ſaxa, feras.  
 Scilicet, vt, quæ olim exitium probrumque parabas,  
 Nunc eadem cunctis vita decuſque fores.  
 Præſtitit hæc Felix diuino munere Sixtus,  
 Cui ſummum hoc ſtudium ſubdere cuncta Cruci.

C. ALIVD

20 DE REB. GESTIS  
ALIVD.

Vt primum augusta consistere sede Obeliscus

Se vidit, lætos hos dedit ore sonos.

Quem modo sublimi pertingere vertice cœlum

Cernitis, & dulcis pondera ferre Crucis.

Egypti quondam vasta Rex rupe Sesostris.

Excisum Phœbo iusserat esse sacrum.

Barbara relligio, decorisque ignara futuri

Prædixit noletus tunc mea fata mihi.

Iustitiae soli, iusto quod principe, iustis

Auspicijs olim rite dicandus eram.




A.  
CHRISTVS PER  
INVICTAM CRVCEM  
POPVLQ PACEM PRAE-  
BEAT. QVI AVGUSTI  
PACE IN PRAEPE NASCI  
YOLVIT.

B.  
CHRISTVM DOMINVM  
QVEM AVGUSTVS DE  
VIRGINE NASCI TYRUM  
VIVENS ADORAVIT  
SEQ; DEIN CEP S DOMI-  
NUM DICI VETVIT  
ADORO.

C.  
SIXTUS V APONT MAX.  
OBELISCVM AEGIPTO  
ADVECTVM AVGUSTO  
IN EIVS MAYSOLEO  
DICATVM EVERSYM  
DEINDE ET IN PLVRES  
CONTRACTVM PARTES  
IN VIA AD SANCTVM  
ROCHVM IACENTEM IN  
PRISTINAM FACIEM  
RESTITVTVM SALV-  
TIFERAE CRVCI  
FELICIVS HIC ERIGI  
IVSSIT ANN. DNI.  
M.D.LXXXVII.  
PONT. III.

D.  
CHRISTI DEI IN AETERNY  
VIVENTIS CUNABVL LAETT  
SSIME COLO QVI MORTVI  
SEPVLCRO AVGUSTI TRISTIS  
SERVIE BAM.



O B E L I S C V S E X Q V I L I N V S  
D E S E I P S O.



Qui fueram cinerum custos tristisque Sepulchri,  
Cunarum excubitor, nunc obeliscus ero.  
Intulit Augustus mortem mihi, mortuus, ait nunc  
Nascentis Christi munere vita redit.  
Sic reduces Astrææ, & religionis honores  
Exultans, Sixto Principe, Roma videt.

A L I V D.

Monte alto excisus Montem altum vertice gesto  
Monte Alto sistor Montis & alta peto.  
Syderibusque facer, Sydus quoque culmine porto.  
Aurea Crux montes, fulgidaque astra facit.  
Vnica lux est Crux, altis qua cernere lucem  
Montibus & Cælo syderibusque datur.  
Ergo Altus mons, montes ornat dum Cruce Sextus  
Et mundo lucem syderibusque refert.



IN COLVMNAM COCHLIDEM  
T R A I A N A M.

Disticon ex Isa. cap. 27.

Pauperis excelsas gressus calcare columnas

Cernis Romatuas? Iam domina orbis eris.

IN AER E A M E F F I G I E M  
D. PETRI TRAIANI COLVMNAE  
SIXTI V. P O N T. MAX.  
IVSSV IMPOSITAM.

Aspice pro vanis veros, Romane, triumphos,  
Tuque triumphantem suscipe, Roma, ducem.  
En qui Romanas venit piscator ad oras,  
Quique crucis probrum suppliciumque tulit.  
Is nunc sublimeis superat Galileius arceis,  
Cæsar isis pedibus nunc monimenta terit.  
Stipite nam lætus verso dum vertice pendet,  
Hac inquit nobis est iter ad superos.  
Nunc superis iunctus superas superare columnas  
Incipit, & nudo subdere regna pe de.

D

Quod

Quod genius hoc belli, quæue hæc noua pompa triūphi;

Imperat Occisus sanguine regna capit.

Sic vincit, sic exercet sua prælia Christus,

Exitio vitam, regna cruore parat.

### A L I V D.

Viderat infandis vrbem Sixtus monumentis,

Ornatam vanos vsque referre Deos.

Hinc obelos, atque hinc cochlides iactare columnas

Atque virum forti parta trophyæ manu.

Aut ære ex molli, seu ducta ex marmore signa

Seu thermas, arcus, templa, theatra, fora.

Vidit, & ingemuit cari pia cura parentis,

Non lacrymis potuit parcere pastor amans.

Non tulit hoc solers vigilis prudentia Sixti;

Non tulit hoc pietas, non pietatis amor.

Ergo altos, dixit, subigens nunc crux obeliscos,

Emicet, & Solis numina prisca fuger.

Quin & Traiani ingentem, me vindice, molem

Pauperis ascendat ærea signa Petri.

Sic

A SIXTO V.P.M.

27

Sic Piscatori cedat Rex Maximus orbis,

Sic Christo veterum cæca superstitione.

ALIVD.

Vlpius extulerat molem hanc Traianus ad auras:

Iusserat hic cineres condier ille suos.

Hic statuam figi, vicitriaque arma reponi;

Quem Dacos domuit, Decebalumque ducem.

Fortia dehinc Pario cælari hic marmore facta,

Deuictos hosteis, oppida capta iubet.

Traiano melior, sed nunc felicior atque

Augusto Sixtus, dedicat ista Petro.

Effigiemque viri, molem superare superbam


Imperat, & sacrum tollere ad astra caput.

Sic verus veræ fidei, fideique Magistro,

Sixte pater fidei, te duce, fertur honos.



D 2 De



SIXTVS V PONT MAX PICENV  
AQVAM EX AGRO COLVMNAE VIA  
PRAENEST SINISTRORVM MVLTRVM  
COLLECTIONE VENARVM DUCTV SINVOSO  
A RECEPTACVL MIL XX A CAPITE XXII  
ADDUXIT FELICEMQ DE NOMINE ANTE PONT DIXIT

COEPIT PONT AN I ABSOLVIT III M D LXXXVII.

## DE AQUIS FELICIBVS.

Irrigat Exquilias Sixtus montemque Quirini

Fontibus, at lacrymis irrigat ille polum.

Dum Christum Patri mactat sine sanguine ad aram

Dum pueri tractat membra tenella senex.

Vnda suis scatebris arentia temperat arua,

Ast lacrymis Sixti sistitur ira Dei.

Felix Roma nimis Felici hoc principe, sub quo

Et cœlum, & terras vtraque lympharigat.

## ALIV.D.

Currite gemmanti felices gurgite lymphæ,

Quo longam expellat feruida terra sitim.

Currite, qua duxit sinuoso tramite Sixtus,

Quaque dedit summi per iuga montis iter.

Currite felices latices per florida rura,

Perque vias, hortos, currite perque domos,

Currite felices felicis munere Sixti,

Felici seateat iamque Quirinus aqua.

Currite sub Sexto pleno sic gratia riuo

Sic placidis pacis fluctibus vnda fluet.



# DE MULIERE QVAE AB AFRICO

SINV ROMAM AD SIXTVM V.

P O N T . M A V .

C O N F V G I T .

**Quis** locus est laudum ignarus iam, Sixte, tuarum?

Ecce tibi à Libyco foemina vecta mari est.

**Quæ** nunc, ceu pinguis quondam Regina Sabææ,

Maiorem prisco te Salomona petit,

Te solum vt videat, tuaque vt vestigia seruet;

Pauperie gazas, aurea tecta casa

Mutauit sapiens, famulosque, ac pignora, matrem,

Sponte sua fidei credidit illa tuæ.

**A**ccipe primitias, regni præsaga futuri:

**A**frica quas mittit, foemina quasque refert!



IN PII. V. PONT. MAX. OSSA IVSSV<sup>33</sup>

Sixti. V. Pont. Max. ad sacellum Præsepis

Christi translata , nobilissimo-  
que sepulchro illata.

EPIGRAMMA.

Nascentis præsepe Dei pastoribus olim

Ostensum primo, regibus inde fuit.

Pastorem, regemque, Deumque , hominemque fatentur

Pastores, reges, carmine, muneribus .

Nunc Pius, en Pastor, Rexque illam fertur ad aram,

Excubet ut Pastor, munera Rexque ferat ,

Pastoris Regisque insigni hoc sacra sepulchro


Pastor Rex Sextus condidit ossa Pij.

Seque tuum ante antrum, pastor, rexque optime Christe,

Pastor Rex Sextus condier ipse cupit .

Sic tua pastores Reges cunabula circum

Adstabunt ambo, hinc Sextus, & inde Pius.




35

IN SANCTVM BONAVENTVRAM

Doctoris Ecclesiæ Titulo à Sixto V.

Pont. Max. insignitum



Dat BONA nunc VENTVRA Deus tibi maxima cælo.]

Dat Sixtus scriptis præmia digna tuis.

Ille beatorum te iungit sedibus, æuo

Dulci vbi perfrueris, lucidaque ast racolis.

Hic te Doctoris titulo, qui Sydera luce

Et solem superat concelebrare cupit.

Quod simul & doceas, oblectes, afficiasque :

Et quod dum legeris, vulnere corda petas.

Vulnere quo felix vixisti saucius ipse,

Vulnere quod fixum nunc quoque corde geris.

Hoc felix Sixtus felici vulnere tactus

Saucia iamdudum pectora & ipse tulit.


Hoc se percussum, te percutiente, fatetur,

Dum tecum loquitur, dum tua scripta legit.


Hoc demum cari dum vult feriantur alumni;

Scripta tua vt discant peroluenda dedit.

O te felicem, terraque, poloque beatum  
 Certatim quem ornant terra polusque simul,  
 Christi dulcis amor dulci tua pectora telo  
 Transfixit, torques tu quoque tela docens;  
 Nunc igitur Christi vultu dignate sereno,  
 Æternum, & felix iam super astra sedens  
 Pastorem SIXTVM, qui que illi creditus est grex,  
 Quod facis, & precibus, præsidioque foue,



SIXTVS V PONT MAX PICENV  
PAUPERIBVS PIE ALENDIS  
NE PANE VERBOQ CAREANT  
MVLTO SVO COEMPTAS AERE  
HAS AEDES EXTRVXIT  
APTAVIT AMPLIavit  
PERPETVO CENSU DOTAVIT  
ANNO DNI M D LXXXVII PONT II.



## IN DOMVM MENDICANTVM VSVI

Sixti. V. Pontif. Max. pietate, ac  
liberalitate constructam



Pauperies deiecta solo, miserabile visu,

Dum iacet, & questu compita cuncta replet;

Hospitioque, ciboque carens, ac vestibus, alto

Cum gemitu stipes, auxiliumque petit.

Improbis & templis clamor pia vota frequenter

Impedit orantum, quem ciet atra fames.

Nec possunt sœuas locupletum flectere mentes

Quas mittit lacrymans indiga turba preces.

Paupertatis amans, & paupertatis alumnus

Festinat miseriis sed dare Sixtus opem.

Namque illi teneris insunt præcordia fibris

Angitur esurie, pauperieque gregis.

Ergo amplas hilaris flaui prope Tybridis vndam

Quæ capiant inopes, instruit ille domos.

Tum rigido refouet torpentia frigore membra

Vestibus, hospitio, flammigerisque focis.

Viscera

Viscera deinde cibo reficit, potumque ministrat

Sedulus, atque ægris pharmaca corporibus.

Nec minus inde animis diuini pabula verbi

Exhibet, & scatebris irrigat ora sacris.

Ac veluti Solymis, coetu crescente piorum,

Nomina qui Christo prima dedere Deo;

Dum sanctus coelo delapsus Spiritus alto

Edocuit sacri pectora fida chori.

Vna fides cunctis, & cor credentibus vnum

Extitit, & cunctis tunc anima vna fuit.

Cuncta ministrabant cunctis, communia cunctis

Perque domos cuntas cuncta fuere diu.

Tunc viduata viro mulier, puerique parente

Orbati, & tristes, inualideque senes,

Et quos dira fames, & quos sitis aspera pressit

Optatam haud segnes experiuntur opem.

Et tanto in populo, loca quem diuersa tenebant,

Pauperie nullus, qui premeretur, erat.

Haud secus hæc Romæ fieri sperate Quirites

Nam molli SIXTVS viscera corde gerit.

Hac

Hactenus, vt duros arceret finibus hostes,

Vt frugum populis copia larga foret.

Congessit prudens argenti pondus, & auri;

Ne incautos ciues gens inimica premat.

Sed Scytha nunc acer, Tyrius, sœusque Britannus,

Et Germanus atrox, Barbaricusque furor.

Exitium vnanimes Vrbi qui sæpe minati,

Et stragem populis, militibusque necem.

Fortia dum metuunt atque imperterrita SIXTI

Pectora, vix audent limine ferre pedem.

Aurea sub SIXTO nam pax, & copia fines

Cum teneat nostros, iam tremit hostis atrox.

Et trepidus patrijs vix fidens finibus arma

Condit, quæque tenet, non bene tuta tenet.

Aruaque iam lætis exundant pinguis culmis,

Horrea triticea messe referta tument.

Quod superest, prius decorabit honoribus Vrbem,

Et dignis statuet præmia digna viris.

Iam viduata viro mulier, puerique parente

Orbati, & tristes, inualidique senes.

Virgineique chori muris quos contiuet arctis

Vnius intactæ virginitatis amor.

Et quos dira fames, & quos sitis aspera pressit,

Optatam haud segnes experiuntur opem.

Nec gente in magna, multas quæ sparsa per vrbeis,

Pauperiem quisquam, qui patiatur, erit:

Ergo alacres omnes nunc te, pater optime Sixte,


Laudibus extollunt, plausibus excipiunt.

Pastoremque, patremque suum, iuuenesque, senesque

Conclamant, nec non diues inopsque simul.

Viue diu felix, patriæ pater optime, viue,

Per quem pulsâ fames, tutaque parta quies.



IN OBELISCVM LATERANENSEM,  
 nouamque domum, & Scalam Christi san-  
 guine conspersam, iussu Sixti V.  
 P. M. instauratam.

Qui Laterana frequens inuisis templa viator,

Etteris hæc flexo limina sancta genu.

Mirarisque obeli ferientia culmina cœlum,

Confractum audieras quem iacuisse prius.

Quique Parætonijs Tymbræi numen in oris

Prætulit, hunc Romæ signa referre Crucis.

Excelsaque domos nitido consurgere faxo,

Atque Peristylio, porticibusque nouis.

Insuper, & roseo conspersos sanguine Christi,

Sedula concedit, quos pia turba, gradus.

Augustam in speciem mutatos ducere ad almam

Aram Laurentis commodiore via.

Conspicis, attentisque oculis nunc omnia lustras,

Siue stuperas, spatio tanta peracta breui.

Ne stupeas, magnus Regum nam præuenit omnes

Spes, animos, Sixtus, atque opera, atque manus.

Ne

Ne stupeas, maiora magistū concipe mente,

Singula quidque velint innuere ista vide.

Vt feriunt obelisci celsa cacumina Olympum,

Vtque ferunt summo vertice signa Crucis.

Sic satagit Sixtus cunctis præfulgeat vt Crux,

Aurea nam summi Crux via sola poli est.

Vt surgunt alaci reparata palatia cursu;

Vt surgunt arcus, sanguineique gradus.

Sic, quæ Tartarei fuerant labefacta Tyranni

Inuidia, atque odio, iam renouata vigent.

Destructus morum cultus, destructaque forma

Virtutis, pacis, iustitiæque nitor.

Iam reduces adsunt, iam Sixto vindice, nostris

Insidunt animis, pectoraque imarent.

Ingentes ergo tanto pro munere grates

Si potis es soluas, si minus ore refer.



DE VIIS A M P L I S S I M I S Q V A ' S

Sixtus V.P.M. ab Exquilino Monte in  
Syderis formam, ad loca diuersa  
aperuit & strauit.



Syderis impositum Monti iubar emicat Vrbis,

Lucidior fulget sydere virgo parens.

Quæ solem genuit, gremioque, atque ubere fouit,

Exesique antri condidit hospitio.

Montis in Exquilij spelunca hæc vertice, sed nunc,

Vt centrum residet, dirigit atque vias.

Hacque illa cœpue illas aperit, qua visere magna

Templa Dei summi fœmina, virque potest.

Syderis in speciem, illinc qua Laurentius æde

Conditur, inde Crucis maxima templo videt.

Hinc Lateranensis renouata Palatia phani

Inde Quirinalem conspicit, hinc Cochlidem.

A te principium, Virgo, tibi desinit omnis

Spes hominum, quibus est terminus, atque via.

Virgo decus cœli, fortunatissima Virgo,

Virgo Dei summi, filia, sponsa, parens.

G Virgo

Virgo curarum Sixti predulce leuamen;

Quæque illum refoues, dirigis, atque doces.

Te duce, mortales radiantia sydera cæli

Et solem Christum cernere posse putant:

Te monstrante viam, preclarus cum grege Pastor

Astrigeri scandet lumina clara poli.

Stella parens Solis, radijsque, atque igne corusca;

Stella parens hominum, terminus, atque via.



## IN TRIREMEM ADVERSVM

Piratas à Sixto V. P. M. paratam.

Non satis est Sixto terris pepulisse latrones

Piratas toto iam fugat ecce mari.

Pergere iam poterit, si vult, mercator ad Indos,

Nam pelago, &amp; terris omnia tuta videt.

Miratur latus genitor noua pondera Tybris

Insuetam portans per vada flauaratem.

Miratur placidam, &amp; gaudens vehit vnda carinam.

Tyrrhenum seruet quæ Adriacumque fretum:

Quid faciet Maurus? miles, classisque paratur:

Africa quid faciet, Bosphorusque sinus?

Desinet ad nostras appellere perfidus oras

Nil sibi iam prædæ, quod capiatur, erit.


Bellatrix ponto Dux creditur alta Triremis,

VENTURA in Latium quæ ferat inde BONA.

Mittitur auspicijs Sixti cum milite classis,

Prædator fævus, præda erit ipse modo.

Pone metum, Tyrrhene pater, tua littora SIXTVS  
 Tuta facit, iam tu perfide Turca fuge.  
 Iam satis atque super, nostro de littore captas  
 Heu, prædas tecum, sœue Tyranne trahis.  
 Nostra tuos classis fines penetrabit ad imos  
 Helle spontiacæ iam timet ora plagæ.  
 Infelix redde Imperium, da non tua regna  
 Subijce iamque humili sceptra superba Crucis  
 Da Solymos, vel tu sacrum venerare Sepulchrum;  
 Christigenis pateant iam loca sancta pijs.  
 Dux bellis flauo Tyberinigurgite puppis.  
 Soluitur, hanc sancti numinis aura mouet.  
 Soluitur atque sali gaudens per cærula fertur  
 Vt libycos subigat, Niliacosque sinus.  
 Soluitura spicijs IESV, te Principe, IESV,  
 Confidit SIXTVS prospera cuncta fore.



IN COLVMNAM COCHLIDEM<sup>59</sup>  
Antoninamænea B. Pauli effigie  
insignitam.

D I S T I C O N.

Immeritum Pauli fundis tu Roma cruem;

Imperium extinctus possidet ille tuum.

IN EANDEM CARMEN.

Marcomanos Marcus deuicerat Antoninus

Immanes Rhetos, armigerosque Quados.

Vtque æterna foret præclari hæc gloria facti,

Edocet historiam magna columna Cochlis.

Qua captas vrbes, ductosque ex hoste triumphos

Cælauit niueo in marmore docta manus.

Corde pium, fortisque armis, atque ore disertum

Te dixere olim plebsque, patresque tui,

Sed pietate simul, doctrina maior, & armis

Eft Paulus, calcat qui tua regna pede.

Ille humilis, pauper, vincitus, rerum omnium egenus,

Truncatusque caput, fit tibi, Roma caput.

Mirandum, à victo vīctor deuincitur orbis

Cæsar, & ad victi sternitur ille pedes.

Marcomanum vīctor deuincitur Antoninus,

Et cedunt Paulo Rhetus, & ipse Quādus.

Christe Deus tua sunt hæc summæ insignia laudis


Hæc Crucis est virtus, gloria, visque sacræ.

Hosce Petro, Pauloque refert nunc Sixtus honores

Isque illis Cochlidēs subdit, & Imperium.

Vos igitur Sextum vasti duo lumina mundi

Tu Petre consilio, tu prece Paule foue.



IN O B E L I S C V M A D A G R V M  
 Sessorianum ante ædem S. Crucis in Hieru-  
 salem pro pediem erigendum.



C A R M E N.

Salve magna domus, salve ò pinguissima tellus,  
 Salve, quæ gremio fers bona tanta tuo.  
 Tu Crucis inuictæ ligno, signoque coruscas,  
 Tu Solymos præfers nomine, reque sacros.  
 Tu clausos retines, Christi qui dulcia membra  
 Confixere truces, cum manibusque pedes.  
 Te deuora petit populi pia turba frequenter  
 Te petit, & Pastor, pupureique Patres.  
 Nunc obelo Sixtus Phœbo quem barbara quondam  
 Sacrarat demens, stultaque religio.  
 Exornat portasque tuas, aramque, viamque;  
 Signaque pro foribus, stant Crucis, ante Crucis  
 Crux dulcis veneranda polo, mundoque salubris,  
 Crux Christi roseo tota cruore madens.  
 Lucida Crux caræ portans primordia lucis

Densæ quam tenebræ, noxque profunda fugit.

Aurea Crux fuluo longe pretiosior auro

Aurea Crux aurum, diuitiasque ferens.

Gemmea Crux nitidis præcingens cornua gemmis,

Candidus hoc Adamas, illud Iaspis habet.

Roscida Crux ramos vnda madefacta perenni

Perfundens guttis arida corda tuis.

Florida Crux blandis frontem redimita corollis

Quas texunt violæ, lilia cana, rosæ.

Lucida, & aurea, gemmea, roscida, florida Crux ò

Luce, auro, gemmis, roreque, flore iuua.

Luce viam monstra, dites auro effice, gemmis

Orna, rore riga, floreque ferta dato.

Tu refouie Sextum Crux ò spes maxima Sixti

Sedulus exaltat qui tua signa, precor.

Tesibi præsidium Sextus, columnenque, decusque

Tesibi solamen deligit atque ducem.

Excelsas vult ille tibi parere columnas

Ille tibi atque obelos dedicat, & cochlides.

Ille tibi nigros Indos Thrace inque Tyrannum

Ille

A SIXTO V.P.M.

65

Ille tibi Afrorum subdere regna parat.

Te fronti insculptam, fixam te pectore gestat,

Tu Sixtum serua, tu populum atque Patres.

*Laus Deo Optimo Maximo.*

EIVSDEM ARGVMENTI INSIGNIVM  
ALIQVOT VIRORVM  
*Ἄνθετος*

CARMIC.

ILLVSTRISS. D. THOMAE AVALI  
MARCHIONIS PISCARIE FILII.

Facta alij ingentis posuerunt singula SIXTI,  
Vno Bordinus Carmine cuncta canit.

R. D. SYLVII ANTONIANI  
AD IOANNEM FRANCISCUM  
BORDINUM.

Regificas ædes, Obeliscos, Templa, Columnas,  
Et quas aero fornice duxit aquas  
Magnanimus Sextus, Libro dum claudis in uno,  
Et dulci varium carmine texis opus.  
Bordine, exigua vastos quis claudere in vrna  
Oceanii fluctus te quoque posse neget?

I JOSE-

60. JOSEPHI CASTALIONIS  
SIXTE Paterni custos, atque arbiter orbis.

Quæ poterit vox tanta tuas percurrere laudes?

Nam tuus immanes grassantum sustulit ausus

Nutus, & Italiæ felicia sæcla reduxit.

Per te Romanæ maiestas redditæ sedi

Suspicitur toto iam formidabilis orbe.

Relligio nunc cultæ suos agnoscit honores.

Per te dira famæ cœcta, reductaque per te

Copia, parta quies, iniecta que frenas furori.

Culpa luit poenas, virtuti præmia habentur.

Castæ pudicitiam seruant te vindice tecta.

Vrbem restituens vndis felicibus auges.

Atque nouis decoras templis, & molibus ornas.

Litora quinetiam Hesperiæ, pelagusque tueri

Classe paras valida, raptasque reposcere prædas.

Argumenta nouo serit hæc, & pluralibello

Bordinus paucis ausus concludere chartis,

Quæ tu cumque tribus patrasti prouidus annis,

Carmine Bordinus qui se super æthera tollit,

Mortales inter quantum pietate coruscat.

Optima sunt tua facta bonis, & maxima magnis,

Optime magnanimis, maxime Sixte bonis.

Et si vox calamusue tuas vult promere laudes

Deficit ad laudes vox, calamusque tuas.

Iure igitur tota penitus quod mente fatemur

In terris summo proximus ipse Deo es.

62 SIGISMUNDI FLORIANI  
SIXTI V. PONTIFICATVS  
M A X I M V S.

Aurea, quæ mundo fuerant accepta recenti,  
Sponte sua fruges quando ferebat humus;  
Secula nunc redeunt, terrasque Astræa reuicit  
Ius æquumque ferens, & sine labore fidem:  
Ex alto FELIX summus cum monte sacerdos,  
SIXTVS mutato nomine QVINTVS adest,  
Qui sanctos ritus, qui leges iuraque sifit,  
Et quidquid primi constituere Patres.  
Iam sine sollicito loculos de nocte viator  
Deque die plenos fertque refertque metu.  
Est, qui non fuerat, nunc hospes ab hospite tutus,  
Nunc credit, & priscæ religionis honos.  
Hesperiam qua parte secat pater Apenninus,  
Quà Padus, & flavi Tybridis vnda rigat,  
Ionio, & qua parte sonat vagus Adria fluctu,  
Et quà Tyrreno cingitur ora mari.  
Extremum Siculis, & quà latus æstuat vndis,  
Quaque caput pinu Rhætia prima tegit:

A S I X T O V. P. M.

63

In sancta certam ponit pietate salutem

Tota vacans falsis vatibus hæc regio;

Omnes & populos Christi sub legibus vnuſ

Hic vnuim veluti pastor ouile regit;

Hæresis hic mentes peruerit nulla, nec vllum

Turbida seditio vulgus ad arma vocat.

Quæ labes Gallis, gelidisque illata Britannis,

Nec non Germanis, Sauromatisque fuit;

Hanc etiam S I X T V S conatur tollere, concors

Europæ ut totipax sit, & vna fides.

Quod fore, venturi quibus est mens præficia, dicunt,

Hoc quām, non alio tempore commodius.

A. S. F.

AVCTOR AD SIXTVM V.P.M.

Dum repeto tanti quæ conscripsere poetæ.

Doctiloquo de te carmine, Sixti Pater.

Inuenio dictisque tuis, factisque minora,

Et lingua m, & calamū, carmina que ipsa simul.

Quod potui feci, tu nunc doctissime Princeps,

Accipe vel fidei pignora certa meæ?

R O M A E.

---

Apud Franciscum Zanettum. M. D. LXXXVIII.

---

P E R M I S S V S V P E R I O R V M.